Lectiones Theophrasteae.

Particula altera.

Cur lectiones Theophrasteas, quae sunt tantum non omnes emendationes meae in libris sex Theophrasti de causis plantarum, cum viris doctis harumque literarum studiosis communicare voluerim, exposui in programmate quod septimo abhinc anno emisi. Quamquam paucos esse sciebam, qui haec legere lectisve uti vellent tamen libellum hunc tunc coeptum nunc absolvendum esse duxi. Etenim quam sit tenuis haec et parva opella, qua libros phytologicos Theophrasti politiores lectuque faciliores praestare conatus sum: persuasum tamen habeo ut in republica ita in literis cuique id quod scientia viribusque suis possit praestandum esse. Neque ergo poenitet me operae temporisque impensi. Atqui admiratione dignissimi sunt antiqui illi scriptores propter scientiae ambitum, ingenii subtilitatem et mentis acumen qui in tanta penuria rerum earum quae sub oculos cadunt, leges et causas earum tam accurrate investigare potuerint. Summus quidem Aristoteles: habet tamen et suam laudem Theophrastus. Cujus quidem libri de causis pleni sunt thesibus sagacissimis de plantarum natura ac vita, neque de initiis disciplinae botanicae hodierni scriptores tam male et inepte iudicarent si unquam illos ipsi legissent.

Quoniam vero editionem librorum de causis, quam diu paratam habeo, promulgatum iri nulla iam adest spes, graviores ex emendationibus meis publici iuris facere haud inutile duxi. Plerasque earum coniectando sum assecutus. Posthac specimen lexici Theophrastei proponere in animo est.

Vratislaviae, d. XVI. Martii 1851.

Fr. Wimmer.